



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 112. Prærogativæ Cardinalibus a Papa concessæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. bus intulit, graviter indignatus, suam suo-  
 A.C. 1464. rumque confratrum levitatem inculat,  
 qua Bardum in Pontificem elegissent,  
 Papiens. ep. simulque eorum redarguit ignaviam, qui  
 180. 181. 182. secum huic libello subscripserant; deni-  
 Platin. in que omnes adhortatur, ut in posterum  
 Paul. II. cautiores juxta, ac prudentiores essent,  
 nec externæ hominum formæ aut eo-  
 rum verbis fidem adhiberent.

## §. CXII.

*Prærogativæ Cardinalibus a Papa  
concessæ.*

Ceterum Pontifex, ut Cardinalium be-  
 nevolentiam sibi conciliaret, eorum  
 dignitatem luculentis honorum signis il-  
 lustrare conabatur. Indulsi igitur omni-  
 bus usum Mitræ sericæ, quibus soli Ro-  
 mani Pontifices antea utebantur, vetuit-  
 que, ne deinceps inferiores Prælati illas  
 deferrent. Præterea concessit, ut suos  
 equos, aut mulos rubris stragulis ornare  
 possent, Cardinalibus vero ejusdem colo-  
 ris galeros, quos *bireta* vocant, dedit.  
 Auctor additionum ad Ciaconium testa-  
 tur, vidisse se Pauli II. Pontificis numis-  
 ma, quod exhibebat Cardinales in pu-  
 blico Senatu unacum Pontifice ejusmodi  
 galeris ornatos; ex quo idem Auctor col-  
 ligit, ab hoc Pontifice Cardinales pileo  
 rubro primum fuisse decoratos. Ast in  
 hoc

*Addit Cia-  
 con. ad  
 Paul. II.  
 in fin.*



hoc hallucinari videtur (\*); antiquiorum enim Scriptorum testimonio discimus, Innocentium quartum in Concilio Lugdunensi Anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto similes galeros Cardinalibus indulgisse; igitur eos a Paulo II. nonnisi vestimenta purpurei coloris accepisse dicendum est. Postea Gregorius XIV. pariter Cardinalibus Regularibus *bireta* rubra concessit, quibus tamen antea duntaxat pileum gestare datum erat. Demum Urbanus VIII. illos *Eminentissimos* appellari voluit; prius enim nonnisi *Illustrissimi* salutabantur. Ab hinc concessionibus epocha dignitatis, qua Episcopos præcedunt, petitur. Nihilominus quandoque Episcopi post illud tempus in functionibus solemnibus & publicis congregationibus etiam præsentate Pontifice Cardinalibus adhuc præponebantur. Hujus rei exemplum extat in Concilio Claramontano, quod Urbanus II. Anno millesimo nonagesimo quinto in Alvernia convocabat; Ibi enim Hugo Lugdunensis Episcopus secundum a Papa locum tenebat, illum vero recto ordine Archiepiscopi & Episcopi, sequebantur, ac

(\*) Unde Continuator hæc desumpserit, ignoramus; Auctor enim additionum de his ne unicum quidem verbulum habet.



Sæcul. XV. ac demum post eos proximi incedebant  
A.C. 1464. Presbyteri, & Diaconi Cardinales, qui  
 advenientem Pontificem in suo itinere  
 comitati erant.

## §. CXIII.

*Octo Cardinalium Electio.*

**H**oc anno Paulus II. ut Cardinalium  
 numerum auget, octo ad hanc di-  
 gnitatem promovit, quorum impræsen-  
 tiarum nomina exhibemus. Primus erat  
 Thomas Burcherius Anglus, Archiepi-  
 scopus Cantuariensis, Presbyter Cardi-  
 nalis tit. S. Cyriaci. II. Stephanus de  
 Varas natione Hungarus, Archiepisco-  
 pus Collocensis, Presbyter Cardinalis  
 tit. SS. Nerei & Achillei. III. Oliverius  
 Caraffa patria Neapolitanus, ejusdem  
 urbis Archiepiscopus, Cardinalis Presby-  
 ter tit. SS. Petri, & Marcellini, Alba-  
 nensis, Sabinensis, & Ostiensis Episco-  
 pus, ac Sacri Collegii Decanus. IV. Mar-  
 cus Barbus Venetus, Episcopus Vin-  
 centinus, & Patriarcha Aquilejensis,  
 Presbyter Cardinalis tit. S. Marci. V. Jo-  
 annes Balves, Gallus (\*), Andegaven-  
 sis

*Vid. infra*  
*lib. CXIII.*  
 §. 9.

(\*) *Antonius Paggius in suo Breviario ad*  
*annum 1467. num XXIV. Continuatore*  
*carpit, Et hunc Joannem Balves primum dicto*  
*anno Cardinalem fuisse creatum ostendit.*